

mate, quod Paulo V Vitichio dedicavit, construxi ego præteritis diebus, cùm ob adversam valetudinem publicis negotiis vacare non possem, novam Sphæricorum triangulorum doctrinam, in qua per tabulam sinuum, tangentium, & secantium omnes tam rectangulorum quàm obliquangulorum casus, sine ulla multiplicatione vel divisione per solam additionem & subtractionem facillimè perficiuntur. Eam quoq; ad te mitterem, nisi scirem te rem totam, solo eo diagrammate inspecto facilè assecuturum. Ex illo enim diagrammate & axioma à multis jam demonstrato, quod radius sit medius proportionalis inter sinum rectum arcus & secantem complementi, tota ea ratio extracta est. Quod reliquum est, valere te iterum atq; iterum, vir Nobilissime, in multos annos precor, & omnia, quæ à me in te proficisci officia amoris & benevolentia possunt, tibi peramanter offero, enixè rogans, quod ultro facere cæpisti, me te ex animo amantem amare pergas. Data Pragæ 28. Junii, Anno 90.

Jacobus Curtius à Senfftenaw.

Quia verò Quadranti, cujus in literis mentionem facit, descriptio adjuncta fuit; lubet & hanc apponere: siquidem ingeniosa sit, & alijs ejuscemodi tam à Nonnio quàm cæteris productis inventionibus prævaleat: attamen, ut & ipse Dominus Curtius ingenue fatetur, non habent ejuscemodi subtilitates in penitiorè recessu, quod primà fronte pollicentur: In quibus subscribit ijs, quæ hac de re Tomo secundo Progymnasmatum parte priorè pag. 461. de eodem Negotio asserantur. Nam præterquam, quod intricate hæc & laboriosæ subdivisiones, aliquid latentis vitii nonnunquam facile insinuant; admittitur & hoc incommodi, quod quidam Quadrantes, quò centro sunt propiores, eò minores evadunt. Ideòq; subdivisionum minùs capaces; & ipsa Regula, si non exactissimè lineam rectam ubiq; quâ transit, exhibeat, punctumq; aliquod in medio scindat, (quod difficulter dignoscitur) frustra hic laboratur: ut alias incommoditates nunc præteream. Quare nostra ratio, quæ prope ipsum limbum & Quadrantis circumferentiam sit, nec multum occupat spatij, & facile etiam parari potest, longè est & expeditior & certior: cùm etiam per se, quæ paucioribus requisitis constare queunt, pluribus non indigeant: Attamen hanc Dni. Curtij rationem admodum ingeniosam, utut Praxi non satis idoneam, hic subjungere licuit, ut sua præstantissimo illi viro tribuatur inventio, nec alijs (uti fit) eam sibi vendicent: utq; ejus memoriam, atq; eximij ingenij laudem, vel sic aliquo modo post obitum eius gratà mente recolam. Est autem ejuscemodi.

SEQUITUR DESIGNATIO SUBDIVISIONUM
QUADRANTIS

Ab Amplissimo & Generoso Dno:

I. CURTIO, IMPERII PROCANCELLARIO,
INGENIOSE ADINVENTA.

Ntra quadrantem quempiam exactissimè in nonaginta gradus divisum, describantur quinquaginta & novem alii quadrantes. Et in eo qui proximè sequitur quadrantem extremum, accipiatur arcus sexaginta & unius graduum, & dividatur in sexaginta partes æquales, aut accipiatur arcus triginta & dimidii graduum, & dividatur in triginta partes æquales, & continebit utroque casu quævis earum partium gradum unum & minutum unum. Harum partium non nisi primà utimur, reliquis ommissis tanquam non essent in quadrante, eamq; ob causam occultè faciendâ est ista divisio, aut quod magis probaremus, fiat divisio ista in alio quodam quadrante, & ex eo transferatur una earum partium in hunc, quem ad usum construximus, nè, quæ postea describendæ sunt partes, cum prioribus confundantur.

A termino hujus primæ partis transferatur in quadrantem ejus semidiameter, & arcus, quem is subtendit, dividatur in sexaginta partes æquales, eritq; quævis harum partium gradus unus aut minuta sexaginta; semidiameter enim cujusvis circuli subtendit sextam partem circuli, hoc est, gradus sexaginta. Deinde à termino hujus arcus transferuntur in reliquum quadrantis, harum partium viginti octo, eruntq; partes æquales, quarum singulas gradum unum continere diximus octoginta octo, quibus si addideris primam illam partem, quam ostendimus continere gradum unum & minutum unum, exurgent, gradus octoginta novem & minutum unum. Reliqua igitur pars quæ super est usque ad finem quadrantis, continebit minuta quinquaginta novem.